P. RAMVS Scholarum Mathematicarum
lib. 11. pag. 50.

COmmentum igitur Hypothesium absurdum est: Sed tamen commentum in Eudoxo Aristotele Callippo simplicius, qui veras Hypotheses arbitrati sunt: imo tanquam Deos ἀνάκτων Orbium sunt venerati. At in posteris fabula est longe absurdissima, naturalium rerum veritatem perfalsas causas demonstrare. Quapropter Logica primum, deinde Mathematica Arithmetica & Geometrica elementa, ad amplissimæ artis puritatem & dignitatem constituendam adjumenti plurimum conferent. Atq; utinam Copernicus in istam Astrologiæ sine Hypothesibus constituendæ cogitationem potius incubuisset. Longe enim facilius ei fuisset, Astrologiam, astrorum suorum veritati respondentem describere, quam gigantei cujusdam laboris instar, Terram movere, ut ad Terræ motum quietas stellas specularemur. Quin potius e tot nobilibus Germaniæ scholis exoriare Philosophus idem & Mathematicus aliquis, qui positam in medio sempiternæ laudis palmam assequare. Ac si quis caduca utilitatis fructus tantæ virtutis præmio proponi posset, regiam Lutetiæ professionem, præmium conformatæ absque hypothesibus Astrologiæ tibi spondebo; sponsionem hanc equidem lubentissime, vel nostra professionis cessione, præstabo.

Author RAMO.

COmmodum, RAME, vadimonium hoc deseruisti, Sita digressu & professione: quam si tu nunc retineres, mihi quidem illam ego jure meo vindicarem; quod hoc Opere, vel ipsa tua Logica judice, pervincam. Tu modo subsidia rogatis amplissima scientia a Logica & Mathematica, ne quæso excluseris adjumenta Physica, quibus illa carere nequaquam potest. Et mi fallor facilem te das: quippe qui Conformatoris tui præter Mathematæ etiam Philosophiam circumjecus. Eadem igitur facilitate Philosophiam ipse etiam audi rem vulgo absurdissimam, non gigantea conatu, sed optimis rationibus defendentem: quod cum agit, nihil novum agit, nihil insolens, sed officio fungitur, ob quod inventa est.

Fabula est absurdissima, fateor. Naturalia per falsas demonstrare causas: sed fabula hæc non est in Copernico: quippe qui veras & ipse arbitratus est Hypotheses suas, non minus, quam illi tui veteres suas: neq; tantum est arbitratus, sed & demonstrat veras; testem do hoc Opus.

Vin' tu vero scire fabulæ hujus, cui tantopere iraseeris, architectum? ANDREAS OSIANDER annotatus est in meo exemplari, manu Hieronymi Schreiber Norisbergensis. Hic igitur Andreas, cum editioni Copernici præesset, professionem illam, quam tu dicis absurdissimam, ipse (quantum ex ejus literis ad Copernicum colligi potest) censuit prudentissimam, posuit in frontispicio libri; Copernico ipso aut jam mortuo, aut certe ignaro. Non igitur μυθολογεῖ Copernicus, sed serio ὡς ἀληθῆ λογεῖ, hoc est, φιλοσοφεῖ: quod tu in Astronomo desideras.